



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio XCII. De Permutatione Decimarum prætensè antegressa  
Venditionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

## TITULUS XIX.

### De Rerum Permutatione.

#### DECISIO XCII.

De Permutatione Decimarum prætenfa, sed non antegressa venditionem.

#### SPECIES FACTI.

Princeps Romani Imperii post defectionem à Fide Catholica plurimum inhiabat bonis Ecclesiasticis, præsertim Monasteriorum; quia verò non audebat omnia immediate ad suam transferre Cameram, aliqua vendidit Catholicis, contentus pretium exinde solum in suum ararium inferre. Hæc inter quoque erant Decimæ magni valoris pertinentes ad quoddam Monasterium Monialium, quas vendidit cuidam Nobili Catholico. Ne autem injustitia ac invaliditas hujus venditionis, utpote rei non ad se, sed ad Monasterium pertinentis, statim & nimis patenter in omnium caderet oculos, Instrumentum venditionis hæc concepi curavit, ut speciem præberet, præfatas Decimas prius per viam Permutationis ad se pervenisse, nempe in hunc tenorem: Wir verkauffen in Krafft dieses Briefs dem Edlen Herrn N. die Zehenden zu N. wel-

che uns wechselweiff zugestellt worden sind: seye auch das Closter/ welches ermeldte Zehend biß dato ruhiglich ingehabt und genossen/ auch künsttlich/ wo es ohne disen Kauff gewesen wäre/ müssen und gebrauchen hätte sollen und mögen/ gleich und ohne Verzug durch Erstattung anderer Güter contentirt worden; wie dann selbiges hiemit bekent/ das ihme andere Güter wechselweiff darfür eingehändiget worden. Post multos annos, ubi Monasterium rursus ad manus Catholicorum pervenit cum omnibus juribus ante Lutheranismum ab eodem possessis, novi inquilini ab Emptore Nobili repetierunt Decimas, utpote invalide à non Domino venditas, cui nec Præscriptio ex multis capitibus favere, aut dominium Decimarum tribuere potuit. Unde Emptoris hæredes contenderunt, Principem heterodoxum

X x x

doxum non rem alienam, sed propriam, cujus dominium per præviam Permutationem consecutus fuisset, vendidisse, consequenter validè, & sic

Decimarum dominium immediatè transtulisse in Emptorem. Quæ- pter exarsit

### Q U Æ S T I O.

*An prædictarum Decimarum venditionem præcesserit vera & valida Permutatio.*

**V**eram & validam præcessisse Permutationem acerrimè contendit Emptoris Hæres, vix non injuriosè autem ejus Causidicus. I. Ex Instrumento publico paulò ante adducto, omnibus numeris absoluto, & fide Principis roborato, cui utique credendum; claris enim verbis in illo exprimit Princeps, Decimas priùs permutatò ad se pervenisse, ac Monialibus, id apertè fatentibus, æquivalens esse redditum, in quo consistit natura Permutationis ac essentia. II. Si Principi priùs, quàm vendiderat Decimas, ista non fuissent extraditæ, & sic Permutatio non præcellisset, tunc ideo, quia Instrumentum dicit, Monasterium illis hisj dato frutum esse: sed hoc nihil facit; quia id hisj dato indicat tantum, usque ad tempus Permutationis, non usque ad tempus Venditionis, frutum esse Decimis quæstionis Monasterium. Nec obstat III. Quòd Instrumentum addat, Monasterium iisdem fruturum quoque fuisset, *wo es ohne disen Kauff gewesen wäre*; si hæc venditio non intervenisset; quia hæc verba aliud non volunt, quàm quòd, si Princeps non intendisset

contractum venditionis, & illud secutum non scivisset, Permutatio non præcellisset: cùm ergo futurum eum futurum, & intenderit, Permutationem præviam celebravit. Vel II. Habent hunc sensum, quòd Permutatio fuerit facta solum conditionata, si nempe venditio secuta fuerit.

V. Ad validam Permutationem requiritur traditio: ergo, licet nec Decimæ ante venditionem traditæ fuissent Principi, tamen potuit præcedere vera Permutatio. *Antec. probatum ex l. 3. C. de rer. permut. ubi placito Permutationis, nulla re facta, constat nemini actionem competere: stipulatio subjeãta ex verborum obligatione quæstiverit partibus actionem.* ex Corv. Zoel. Thoma Mabio, Wesenbec. quorum ultimus ad *de rer. permut. ff. n. 10.* sic ait: *si traditio aut stipulatio fiat: ergo traditio determinatè non requiritur, saltem VI. Non requiritur utraque parte, sed sufficit, si una permutantium faciat traditionem, qui tradit, jam transfert dominium, ut habet Communis omnium DD. et*

altera pars necdum tradiderit: sed saltem Decimæ à Monasterio fuerunt prius traditæ Principi, partim quia id loquuntur litteræ venditionis, partim quia Monasterium ex post nunquam petit sibi Decimas restitui. Sed & VII. licet Decimæ non fuissent traditæ, saltem æquivalens pro Decimis, seu alia bona fuerunt à Principe reddita sive realiter, ut testatur Instrumentum, atque in eo Moniales ipsæ, sive per stipulationem, & simplicem bonorum delegationem cum consensu, ut iis potest fruat Monasterium; nam Princeps, si vult, potest transferre rerum suarum dominium sine extraditione: ergo saltem ex una parte facta est traditio; quod sufficit ad Permutationem. VIII. Quidquid sit, sive æquivalens sit redditum Monialibus, sive non, ex hoc tamen non sequitur, Permutationem veram & validam non præcessisse ante venditionem Decimarum. Verum vana hæc sunt & prorsus inefficacia ad probandum intentum, adeoque in substrato casu permutationem Decimarum non fuisse verè ac validè celebratam ante earum venditionem attentatam, omnino tenendam, & probatur efficaciter I. Ex memorato venditionis Instrumento, quo demum unice ferè nititur Pars altera; siquidem hæc verba, welches Kloster ermeldte Zehend bis dato richtiglich ingehabt und genossen/ auch künfftiglich/ NB. wo es ohne diesen Kauff gewesen wäre/ müssen und gebrauchen hätte sollen und mögen/ adeò clarè indicant, Deci-

mas usque ad tempus & instans venditionis mansisse penes Monasterium, & solam venditionem obtituisse, quò minus deinceps manserint, & à Monasterio perceptæ fuerint, sicut antè, ut nulla ratione vel subtilizatione aliter intelligi possint. v. g. Titius donat equum Cajo, & dum donat, ait ad ipsum: dono tibi hunc equum, quem hucusque (bis dato) possedi, ac deinceps, si hæc donatio abesset (künfftiglich/ wo es ohne diese Beschenkung gewesen wäre) possidere ac frui potuissem ac debuissem, nemo unus diceret, quòd equus non usque ad actualem donationem fuerit in dominio Titii: ergo etiam nemo, vel terminos intelligens, dicere cum ulla verisimilitudine potest, Decimas non fuisse in dominio Monasterii usque ad actualem venditionem, & ad Principem pro priori tempore, etiam instantaneo tantum, non pervenisse earum dominium vel possessionem per viam Permutationis. Quia verò idem instrumentum simul dicit, Permutationem venditioni præmissam fuisse; manifestè sibi contradicit vel contrariatur. Unde resolutio nostra

Probat II. Instrumentum venditionis est falsum, adeoque nullum: ergo inefficax ad aliquid probandum, nempe ad Permutationem præviam. arg. c. 13. § l. 14. C. de fid. Instrum. Antec. patet ex dictis, quia asserit & negat Permutationem præviam, adeoque habet contradictoria: ex contradictoriis autem unum necessariò est falsum. Et quod pessimum est, hoc

Instru-

Instrumentum in puncto substantiali (nempe de Permutatione prævia) in quo se fundat Pars adversa, sibi contradicit.

Prob. III. Ad omnem Permutationem requiritur essentialiter traditio saltem ex una parte; sic enim diserte pronuntiat textus in l. 1. §. 2. ff. h. t. *ibi: emptio ac venditio nuda consentientium voluntate contrahitur: Permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet.* Item in l. 3. C. eod. *ibi: ex placito Permutationis, nulla re secuta (tradita) constat nemini actionem competere: nisi stipulatio subiecta (quæ distinctus est contractus) ex verborum obligatione quaesierit partibus actionem.* Atqui in nostro casu nec traditio Decimarum facta est à Monialibus ante venditionem, partim quia Instrumentum venditionis clarè dicit, eas usque ad tempus venditionis, quo erectum est instrumentum, hijs dato &c. à Monasterio possessas fuisse; partim quia de traditione Decimarum antegressa venditionem prorsus nihil constat, tempore autem venditionis non potuit fieri; aliàs enim Princeps eodem tempore per traditionem accepisset Decimas à Monasterio, & simul alienasset per venditionem. Sed nec æquivalens pro Decimis fuit traditum Monialibus à Principe, partim quia continuò post venditionem celebratam, qua decimas transtulit Princeps in Emptorem Nobilem, & constanter fuit postulatum à Monialibus, ac teste Camera Principis, ejusque hærede confitente (quibus utique creditum) nunquam fuit redditum, ut

documenta, quæ exstant, manifestè loquuntur.

Ex quibus prona jam fuit & facilis responsio ad opposita. Ad I. Instrumentum sibi ipsi adversatur in puncto substantiali, adeoque falsum est & nullius fidei. Ad II. Manifestè patet, id hijs dato referri ad tempus venditionis, quia subjuncta sunt verba: *two es ohne disen Kauff getreuwäre / müssen und getreuwäre hätte können und sollen:* Permutatio igitur prævia non impedit Monasterium à fruitione decimarum sed sola venditio, & usque ad hunc hijs dato, frutum est decimis ut quæ re sua. Ad III. Intentio vendendi, vel scientia venditionis fuit nullo modo inducit Permutationem præviam, aut translationem dominii sed traditio (si aliud non obstitisset) sicut tamen hic obstitisset spiritualium Decimarum quæstionis, quorum licet Emptor fuit incapax tam quæ possessionem quam quoad dominium fuisse absolute necessaria: atqui traditio non est facta, ut vidimus: ergo Permutatio præcesserit; imò ob vendentis decimas, quas scivit se vendere non posse, utpote rem alienam spiritualem, & non vendibilem manifestè patet, quia Instrumento intertulit, permutatò se eas prius recepisset dein dicit, & simul negat, ut vidimus, Decimas ad se permutatò venisse, quod clarè indicat instrumentum & dolum. Ad IV. Si Permutatio solum fuit conditionata,

tempore venditionis nondum fuit absoluta: si nondum fuit absoluta, nondum fuit habilis ad transferendum ante venditionem dominium: ergo Permutatio, domini translativa, vera, completa, absoluta, & cum effectu non præcessit venditionem: actus enim sub conditione (venditionis futuræ in præfenti casu) ante eventum conditionis nihil operatur; cum ante eventum conditionis non existat.

Ad V. Quod aliqua ad Permutationem requiratur traditio, saltem ex una parte, evidens est ex allegatis legibus: *Permutatio autem ex re tradita tantum obligationi præbet.* Item: *ex placito Permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere.* Quando autem in ultima additur, *nisi stipulatio quæsierit partibus obligationem,* sensus est, quod quidem actio oritur, quando stipulatio accedit sine traditione, at ex *stipulatu*, non verò ex *permutato* (vel *actio præscriptis verbis*, quando Permutatio habet rationem contractus innominati) nam stipulatio est contractus verbalis à Permutatione distinctus, pariens actionem de Jure Civili specialem. Sic etiam Wesenbecius, quando dicit, formam Permutationis esse, *ut aut traditione aut stipulatione fiat*, nihil aliud vult,

quàm obligationem non oriri ex nuda conventionione & placito Permutationis, sed vel ex *traditione*, & tunc datur actio *ex permutato*, aut *præscriptis verbis*: vel ex *stipulatione* adjecta, & tunc datur obligatio seu actio *ex stipulatu*: nec Wesenbecius autem, nec alii DD. dicunt, Permutationem, prout est contractus, valere in ratione Permutationis absque ulla traditione, aut obligationem ex permutato producere. Dein in præfenti casu sicut nulla traditio ante venditionem Decimarum præcessit, ita nulla stipulatio, cum nullum vel in speciem huius aut illius appareat ullibi vestigium. Ad VI. & VII. constat ex dictis, nullum omnino, nec Decimarum, nec æquivalentis, traditionem esse factam ante venditionem. Nec Principes possunt sine traditione celebrare Permutationem, nisi sit Supremus, & per legem prius immuret essentiam vel naturam Permutationis: neque possunt sine traditione transferre dominium bonorum, saltem si ea non specificent: tibi autem Princeps ullibi specificavit bona, quæ tanquam æquivalens promisit? Ad VIII. Hoc est fugere ex acie, & aliquid esse sine suis constitutivis asserere.

O. A. M. D. G.

